

**De articulis arte incidendis : dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... /
auctor Edmundus de Pochhammenr.**

Contributors

Pochhammer, Edmund von, 1812-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1835.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bp3m3ghs>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE
**ARTICULIS ARTE
INCIDENDIS.**

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XVII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
EDMUNDUS DE POCHHAMMER
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
M. NAGEL, MED. ET CHIR. DR.
C. BOEGER, MED. ET CHIR. DD.
R. MARCHAND, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Poscimur: —

Q. Horat. Flacci carm. lib. I. 32.

VIRO ILLUSTRISSIMO

HENRICO GRIMM,

**DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE, MEDICO IN EXER-
CITU REGIS BORUSSORUM SUPERIORI,**

VALDE DE SE MERITO

NEC NON

PATRI DILECTISSIMO

GUILLEL. DE POCHHAMMER,

TRIBUNO MILITUM, DUCI SUPREMO LEGIONIS VIGESIMAE
TERTIAE, EQUI TI ORDINIS CRUCIS FERREAE IN CLASSE
SECUNDA, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE QUARTA,
ORDINIS RUTHENICI SANCTAE ANNAE IN CLASSE SECUNDA
CUM GEMMIS, ALIORUM,

H A S C E
S T U D I O R U M P R I M I T I A S

P I O G R A T O Q U E A N I M O

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Mori satisfacturus opus conscripsi, candide Lector, si quis es, quod nec litterariis admiculis locupletissime accumulatis pollet, nec experientia inter medicos splendida fulget.

Noli inde ex opere quid exspectare, nec quod ad scientiam, nec quod ad praxin spectat; quid enim ex juvene studiorum cursu vix absoluto postulare licet? cognoscas ex opere successum praeceptorum, naturamque futurorum laborum, fructum ipsum ex eo carpere non potes.

Sin vero res ipsa quid novi, aut omissi et recte revocati, fortuito praebeat, non mihi tribuas juveni ad hunc finem nondum instructo,

sed viro illustrissimo H. Grimm medico superiori in exercitu regis Borussorum, qui me non solum de hac re edocuit, verum etiam morbi historias huc pertinentes mecum liberaliter communicavit, quod confitens Viro clarissimo simul palam gratias quam debeo maximas tribuo.

Jam ex vetustissimis temporibus chirurgi de vulneribus articulationum jure consenserunt, disputantes ea semper complicatis et periculosis adnumeranda esse; nec mirandum, experientia ipsa enim adducit ex hisce vulneribus haud raro maximum imminere periculum, vitam quam celerrime et tristem in modum finire, aut detestandam extremitatum perfici corruptionem, qua vitae usus haud mediocriter imminueretur. Quibus addas jam veteres haud raro vidisse, partim morbos internos crisi aut metastasi corrumpere articulos (1) mortemque ceterum non periculosius affectionibus sensim adduci, partim articulorum morbos evanescere ex inopinatu et cordis aut cerebri malo vitae diem supremum imponere; quae res profecto erant sat aptae, quibus omnibus medicis metus laesionum articuli injiceretur. Putaverunt inde nonnulli, neque imperiti, quodque arti-

(1) τοῖσι κοπιώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν εἰς ἄρθρα καὶ περὶ αἰσ γνάθους μάλιστα ἀποστάσεις γίνονται. —

Hipp. Aphor. Sect. IV. n. 31.

culationis vulnus primam in vulneribus sanandis viam non ingressum mox abscindendae extremitatis exhibere causam. — Sententia profecto in bellis periculosa, ne dicam nefaria. Quae res quum ita se habeat, mirari non possumus et nostris temporibus fere omnes a cultro articulis inferendo ad emit-tendos humores aut aliena corpora abhorrere.

Noluerunt igitur medici militares in vulneribus sclopetariis articulorum extractioni corporis alieni dilatatione unquam auxilio venire, sed naturae an-chylosin formandam tradidere aut quam celerrime amputationem instituere. Inde et nos accepimus ex haemarthro in ossibus fractis amputationis indica-tionem quam tutissime prodire. Fortasse et ex hac causa in arthrocaece censeant celeberrimi auctores (1) abscessus nequaquam cultro aperiendos; lubenter quidem concedo hosce abscessus congestivos esse, eaque ex causa cautius et alia ratione tractandos plerumque quam alius indolis apostemata, nihilomi-nus tamen non desunt interdum causae, quibus mo-tus, sine haesitatione aperirem abscessum cum arti-culatione conjunctum; librarem tali modo ossa a puris molestia et impedirem quominus caries latius procederet.

Dicam ingenue: bellum nobis doctrinam hac in re proposuit meliorem et tutiorem, praebuit sat magnam in articulis vulneratorum copiam, auxilium non semper satis paratum, aegrotantes non raro

(1) Dieffenbach in Rust theoret. und pract. Handbuch der Chirurgie, Art. Arthropyosis pag. 392.

chirurgorum cultum abhorrentes, immo et medicos, quos experimentum arridet, profecto maximi momenti quod si felix consequitur eventus conservat articulationem et extremitatem homini sine dubio haud parvi pretii. Inspiciatis si placet omnium populorum valetudinaria in quibus conservantur ruinae exercituum; in unoquoque certe reperietis casus narratu dignissimos articulationum quam maxime sauciatorum, nihilominus tamen conservatarum. Ita ut ex mea quidem sententia non plane sit artis chirurgicae cultus ab articulationibus deterrendus. —

Cum hac de qua verba facimus operatione vulnerentur articulationis partes, contemplemur necesse videtur generatim vulnera articulorum (1).

»Praeter haec malum vulnus est, quodcumque in alis vel feminibus vel inanibus locis vel in articulis vel inter digitos est.«

Cels. lib. V. Cap. 26.

Quod ad partes, laeduntur membranae serosae et partes fibrosae, quarum inflammationem quidem omnes medici maxime timent, imprimis cum exsudationem fere retinere non possimus, ita ut non parvus autorum numerus adsit, qui contendat exsu-

(1) Boyer, traité des maladies chirurgicales etc. Paris 1814. T. IV. pag. 407. seq.

S. Cooper Handbuch der Chirurgie mit einer Vorrede von H. F. v. Froriep. Weimar 1831. T. II. Art. Gelenke, Schusswunden, Wunden.

Hey, chirurgische Beobachtungen durch Fälle erläutert aus dem Englischen übersetzt nach der 3ten Ausgabe. Weimar 1823.

Gendrin, histoire anatomique des inflammations. Paris 1826. T. I. p. 146. seq. p. 332. seq.

dationem pathognomonicum inflammationis harum partium esse symptoma; monendum tamen videtur, nos omnium inflammationum hanc optime mitigare posse antiphlogosi sat magna, cum haecce organa magis dependeant ab systemate arterioso, quam exempli gratia membranae mucosae. Ex altera parte instant affectiones systematis nervosi, quae interdum vulnera horum organorum sequuntur; plerumque tamen intrat trismus et tetanus tantum dilaceratis articulis non scissis immo incisione et uberiore antiphlogosi sanantur et arcentur, cum partium tensio his remediis tollatur, praecipua ut videtur hujus mali causa. Tunc ex vulnere articuli effluunt secreta normalia, materiam dico synovialem, unde sicca reddi articulatio et repelli dicitur prima in vulnere sanando intentio.

Sed in artificiali apertura id non verendum videtur, cum plerumque non adsit normalis materia synovialis sed corrupta ne dicam purulenta, quae articulationi tantum nocet; tunc vero experientia sat superque nos edocuit, materiam synovialem omnino non impedire primam viam in sanandis vulneribus, cum omnes auctores (1) sat multos enarrent casus feliciter sanatos, dummodo bona curatio mitiget inflammationem, quae sola exsiccat articulum. Postremum putaverunt nonnulli aërem interna articuli

(1) Hey, l. c.

Boyer, l. c. pag. 409, 412. sqq.

Brodie, pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke. Aus dem Engl. von Holscher. Hannover 1821.

tangentem praecipue esse in culpa, cur prae ceteris articulationum vulnera male cedant. Bene vero Boyer (1) demonstravit non aërem sed artem esse accusandam, qua carpiae innumeri globuli et emplastrorum ingens moles partibus admoventur, ita ut vulneribus punctim admotis aut plaga adductis in articulationibus bona quidem medici conveniat cura, sed spes rarius tantum fallatur, si bona antiphlogosi ad sanationem tendimus et prae ceteris omnia adminicula ad primam viam muniendam admovemus. Dico si simplex est vulnus neque osseae partes articulationis fractae aut contusae. Certe quidem differunt quod ad prognosin haud mediocriter a vulneribus partium sic dictarum mollium. Quod tamen originem ducit ex natura partium, cum inflammationes membranarum serosarum omnino periculosiores appareant, uti pleuritis morbus sane periculosus, tamen saepissime sanabilis. Tandem in his partibus facillime, ut constat, fit inflammatio chronica (2), praesertim si ex initio negligitur antiphlogosis; tunc sane certus morbi finis destinari non potest, nam undulat quodammodo maris instar ex exacerbatione ad remissionem et sic vice versa, quam equalitatem eandem cum pleuritide et peritonitide praebet. Nihilominus tamen successus tam felices maximorum chirurgorum Boyer, Hey, S. Cooper, Larrey, in curandis vulnerationibus articulorum meliorum paulo reddunt prognosin earum,

(1) Boyer, l. c. pag. 417. sqq.

(2) Gendrin, l. c. pag. 162. seq. pa. 356. seq.

quam quae usque ad illud tempus apud autores praesto erat, ita ut et nunc sola sequela vulnerum articulationum nobis non contraindicatio artificialiter aperiendae capsulae articularis esse possit, etiamsi omnibus periculosa et maxima cum attentione adhuc respicienda restet.

Praeter huncce felicem eventum, quem viro-
rum clarissimorum in vulneratis articulis ceterum
sanis curandi ratio provocavit, exstat et jam ex
prioribus saeculis operatio in alienatis et morbi-
ficis articulationibus instituta; dico enucleationem
corporum interarticularium, quam jam **Paraeus**,
ut historia adfert, instituit.

Genesis horum corporum, symptomata totius
morbi et sequelae certe omne tollunt dubium, mor-
bosas tunc esse articulationes, semper irritatas, non
raro jam inflammatione et exsudatione haud medio-
criter immutatas. Dolor ingens, inflammatio acu-
tissima subintrans, corruptio totius articuli inse-
quens et amputationem sibi postulans, jam veteri-
bus obtulerunt indicationem, causam horum malo-
rum amovendi. Annales hujusve operationis refe-
runt optimo cum successu articulationes etiamsi
morbosas hasce incisiones tulisse primamque in-
tentionem fere semper perfectam esse. Non desunt
quidem casus infelices, ubi dyscrasia non bene re-
specta et antiphlogosis neglecta rem satis nobis de-
clarant.

Ergo in morbosis articulationibus bene per-
pensitanda quidem est incisio, tamen non omnino
negligenda, si graviores indicationes postulant. Re-

medium enim anceps et interdum auxilium adferens certe adhibendum est, si constat id haud raro vitam servasse, immo interdum incolumem extremitatum statum restituisse.

Convertamus nunc licet, animum ad indicationes incisionis in tumoribus articulationum instituendae. — Perpendamus ejus dignitatem, utilitatem, periculum, et exigendi rationem.

Omnino haecce operatio inter illas recensenda videtur, quibus generaliter ex partibus organicis amoveantur corpora aliena; sint haecce ipsa per vim externam in eas compulsa, aut per pathologicum processum in ipso corpore producta. Est ergo interdum, ut constat, vera evulsio corporum anorganicorum, interdum oncotomiae, punctioni in hydropicis, aliis hujusmodi adnummeranda. Si accuratius perpendimus indicationes et articulorum statum, quibus moti hanc operationem suscipiamus licet:

I. Generaliter quidem aut gravis profecto adesse debet affectio aut certe quidem timeamus neesse, ne proveniat talis; vitae, aut certe incolumi extremitatis statui hac operatione curandum est; nam, ut jam supra monuimus, non quidem ex toto negligenda aut vituperanda, tamen non obiter suscipienda est vulneratio articuli.

II. Scire jam debemus, processum morbosum, natura plerumque inflammatorium aut omnino nonnumquam incepisse, aut curationis sat apta ratione jam transiisse. Neque enim licet abscessum admodum durum et inflammatum incidere, nec quis un-

quam abdominis punctiōem suscepit durante adhuc inflammatione; quod in articulis certe eadem ratione observandum, ne, qua operatione inflammationis irritamentum auferre volumus, novum addamus.

III. Persuasum id nobis esse debet, reliquo apparatu chirurgico aut medico nos nihil perfecturos; neminem enim tam audacem vidimus, qui adhuc spe superstite, alia via tumoris discussionem adduci posse, partem incideret, nedum articulationem. Est praeterea jam in Hippocratis aphorismo (1):

„ὅκόςσα φάρμακα οὐκ ἵηται
σίδηρος ἵηται, ὅσα σίδηρος
οὐκ ἵηται πῦρ ἵηται,“

quod tamen vertendum in articulationum malis puto ita ut tunc tantum incidas, si ex ferro candente aut aliis ignem admovendi rationibus nullam salutem jam sperare potes.

IV. Tandem constet necesse nos corpus alienum aut humorem inimicum emittere posse sine magna et gravi corruptione et, ut ita dicam, perversione totius articulationis, ne tota sanandi ratio nimiam inflammationem jam praesenti addat, et postea articulus quidem sanatus sit, incisione ipsa vero inutilis et gravis.

V. Tali modo fiat incisio, ut sperare possimus, prima in sanandis vulneribus via concreturam incisionem, aut certe proventuram secundam intentionem, non profusa et destruenti exulceratione, sed plastica et reficienti suppuratione insignem.

(1) Hipp. Aphor. Sect. VIII. N. 6.

Ex his quinque a nobis propositis indicationibus duo, quod ad naturam, operationis genera colligere possumus.

Ex altera parte est radicalis: amoveantur corpora aliena, causae et matrices morbi futuri, coalescit per primam intentionem incisio, et sanatus restat articulus, quod interdum in corporibus interarticularibus, in corporibus vere alienis, in haemarthro ex luxationibus aliisque nocivis mechanicis provenire posse constat.

Ex altera parte est symptomatologica: amovemus irritamentum alienum, eaque operatione morbum simpliciorum reddimus, quem nunc feliciori cum eventu depugnare possimus; quod evenit in corporibus interarticularibus rarius, saepissime vero in hydarthro, pyarthro et haemarthro.

Comparata nunc operatio cum aliis, maximam cum trepanatione, operatione empyematis et punctione abdominis similitudinem habere videtur. Congruunt quod ad gravitatem et dignitatem organorum laesorum, immo haud raro et natura ipsa anatomica eadem est; et illae observantur radicales aut quidem symptomatologicae et simul vitam conservantes. Et in his longius omnes res perpendamus necesse, ne nimis organa laedamus, tantum acme jam peracta et a ceteris medicaminibus relictis suscipiamus necesse, tandem in omnibus quam lubentissime primam tenemus in sananda incisione viam.

Restat jam, ut uberius tractemus singulos casus, ubi operationem perficiendam putamus. Exstant praesertim quattuor: Corpora interarti-

cularia, Haemarthrus, Hydarthrus, Pyarthrus, quos singulos nunc breviter describamus licet.

I. Corpora interarticularia (1) haud raro, ut consentiunt autores, sine ulla dyscrasia aut cachexia inveniuntur, ut videtur, causis mechanicis adducta chronica inflammatione, quae secretionem articulationis normalem mutavit. Plerumque haec pathogenetica inflammatio jam dudum evanuit et producta ipsa illa corpora, nunc ex tempore ad tempus inflammationem adducunt, qua sensim totus articulationis apparatus corrumpitur, tumor ex integro, sic dictus albus, obvenit, postea cartilaginum et ossium cariota corruptio amputationis affert indicationem urgentem, imo vitae periculum haud parvum. Quibus addas totum morbi decursum esse maxime dolorosum, ita ut aeger per omne tempus aut cum parvis intermissionibus ab usu extremitatis sit impeditus, non raro dolore ei lipothymia adferatur; quales **B. Bell** enarrat casus. — Ut jam supra monuimus a **Paraeo** usque ad nostra tempora sat multa exstant exempla operationis sine ullo membri aut vitae periculo perfectae. Non quidem ignoro interdum, a **Middleton**, **Gooch**,

(1) **J. Russel**, Krankheiten des Kniegelenks. Aus dem Engl. von Dr. **Goldhagen**. Halle 1817. p. 60. seq.

Boyer, l. c. p. 431 seq.

S. Cooper, l. c. pag. 45. seq.

D. J. Larrey, mémoires de chirurgie militaire et campagnes. Paris 1812. „Notice sur les cartilages mobiles, et contre nature, des articulations“ pag. 421. seq.

Rust, l. c. T. V. Art. Corpora cartilaginosa articulorum

Boyer, Russel, aliis, corpora interarticularia vinculis arcte articulum circumdantibus tali modo retenta esse, ut detrimentum ex iis fieri non posset; quod tamen non semper bene cedit, nec saepe adhiberi potest, ob ingentes dolores, ita ut operatio nihilominus tamen tentanda sit. Expectemus licet temporis momentum, quo quiete et sat apta curatione inflammatio sublata est, tunc motu articuli ad externas fere partes corpora illa compellere possumus, ita ut interna articulationis omnino operatione non turgentur; tandem operationis methodo aërem ipsum ab articulatione arcere possumus, si enim antiphlogosis sat accommodata primam adducit intentionem, non est quod timeamus in excindendis hisce corporibus; cum simul sit officium chirurgi eam perficere operationem, ne illa nociva supra recensita aegroto irruant. Constat ut puto, quod ad indicationes et periculum ipsum, nihil differre operationem, si corpora aliena in articulos compulsa sunt, primaria via non educenda; dummodo haec ipsa uti corpora interarticularia cultro et manibus bene tangi possint, nec intima articulationis teneant.

II. Haemarthrus symptoma sat grave inter affectiones articulorum, ita ut non parvus autorum numerus ex hoc uno sibi sumat amputationis indicium, omnes vero maxima cum antiphlogosi contrarium pugnent. Exoritur vero plerumque ex causis mechanicis in luxationibus et contusionibus, quarum illae repositae tamen gravissimam secum ducunt inflammationem. Haec inflammatio etiamsi aptis re-

mediis depugnatur, tamen interdum sanguinis resorptio nullo opere adduci potest, articulo uti nequit aeger, sanguis ipse ad corporum alienorum rationem agit, inflammationem excitat, qua serosae et ligamentosae partes, immo ossa corrumpuntur, ita ut amputationis indicatio et vitae periculum prodeant. Non minimi in hac re est momenti, quod sanguis mox decomponitur, nuncquē ad saniosae materiae rationem articulationis partes corrumpat. Quibus addas quod S. Cooper, Russel (1) bene adferunt, haemarthrum saepissime esse externum, etiamsi inde periculum omnino non minuatur. Inde consequitur, ut et in haemarthro auxilium interdum ex incisione petere possimus; non quidem negabo, nos interdum sanguinem coagulatum inventuros, quo emittendi experimentum aut difficillimum fiat, aut plane repudietur, attamen si feliciter cedit, maximam reportamus de morbo victoriam; nec si frustranea erat periculosior fit operatio, tunc enim ipso sanguine tegitur articulatio et tutelam contra aërem et cetera irritamenta accipit.

III. Hydrarthus non solum dinamica semper gaudet origine, sed haud raro mechanice intrat, sunt admodum proclives partes articulationum serosae et ligamentosae in inflammationem chronicam et lente incedentem, qua corruptae quodammodo secretionem offerunt aquosam, quae non solum mechanice articulationis usum impedit, verum etiam

(1) S. Cooper, 1. c. pag. 53.

J. Russel, 1. c. pag. 11.

tensione et pressu et externas partes et osseas inflammant et exulcerant, ita ut non minus ex Hydarthro vitae et extremitatibus periculum immineat. Fit interdum arte ut omnes fugemus inflammationis symptomata, aquosam materiam resorptione nequaquam tollere possimus, quia intumescencia partes internae articulationis sint resorptionis adhuc insciae, simul extensione et tumore usus impeditus et reditus inflammationis periculum imminet; tunc puto eadem ex causa incisionem articuli instituendam ac in ascite punctiorem, tunc enim et similiratione fit operatio interdum radicalis, semper sine dubio levamen et palliativum remedium. — Sin vero non admodum magnus adest tumor, malum adhuc recens restat, spes nobis ex aliis remediis est, et operatio ex indicationibus generalibus supra expositis non exhibenda.

III. Pyarthri duo genera ex initio distinguamus necesse. Occurrit enim puris in articulatione accumulatio non raro vehementi partium contusione aut alia mechanica laesione, eademque ex acuta rheumatica affectione gignitur, seu primarie, seu critice, aut metastatice oborta; quae rheumatica mali natura non raro evanescit inflammationemque articuli relinquit; tuncque nihil aliud est, quam hydarthrus cujus secretum magis tenax et purulentum est, quod plerumque demonstrat inflammationem esse vehementiorem et ad corrumpendas articulationis partes procliviorum. Hoc pyarthri genus omnes scriptores omisere, etiamsi mea sententia in ipsa maxime necessarius sit cultri usus. Non enim mutantur causae, quas

hyarthri nominavimus, sed augentur, praetereaque ipsa natura tendit in talibus casibus ut liberam reddat a materia aliena articulationem, quod tamen plerumque fit corruptione nimis late extensa partium articuli externarum, ita ut totus aëri fiat apertus et levissime proveniat amputationis indicatio, ne maxima partium exulceratio febris hectica vitae finem adducat. Ea ex causa in tali casu prae ceteris cultrum adhibendum censeo, ne rapida corruptione intereat articulus, ut evacuetur humor inimicus, tandem ut cultro videmus magnam in externis partibus destructionem.

Aliud existit pyarthri genus, cui nostris temporibus Rust nomen Arthrocaces dedit, quo carie centrali articulationes perduntur, indeque late interdum tendentes exulcerationes et abscessus congestivi oriuntur. Non quidem in hujus mali posterioribus stadiis vituperabo ferrum candens, cetera derivantia; vidi tamen saepius neglectis abscessibus congestivis exoriri detestandam partium mollium destructionem, indeque hectica febris mortem, etiamsi parva tantum articulationis pars esset corrupta eaque jam ad sanationem recedens. Non ergo vituperabo Abernethy (1) et cum hoc abscessus congestivos non nimis magnos statim post ortum parva et cauta aperiam incisione, tunc enim certe quidem pus non detrimentum adfert, ceteris tandem remediis radicaliter malum tollere studebo. —

(1) Cooper S., Art. Lumbarabscesse l. c. p. 436.

Si jam constat necessariam esse incisionem, exponam necesse est, qua ratione administranda sit.

Jam supra diximus fieri debere incisionem tali modo, ut non nimis deleatur articulus, ut aëri quam minime fiat apertus, tandem ut, si ullo modo fieri possit, sanatio per primam intentionem adveniat. Quas indicationes simul cum vero operationis fine attingere possumus, si parvam tantum instituimus incisionem, certe nunquam majorem, quam quae emittere possit humores aut corpora aliena.

In illis casibus ubi simplex emissio imponit finem operationis cutis eadem ratione transducenda videtur et impari modo incidenda uti fit in operandis gangliis, qua methodo vulnus cutis non respondet vulneri articularis capsulae, suadentibus viris experientissimis. Id enim optime depellit aërem ab articulo.

In pyarthro vero talem incisionem facere non possumus, quia in hoc morbo per longius tempus emittendi sunt humores; quam maxime sit autem in hisce casibus ad parvam extensionem reducta, ne aër perveniat facilius ad articulationem neque nimis corrumpantur externae partes.

Incisio sequatur axin longitudinalem articuli, nam si transverse ducitur, non bene postea cohaerent vulneris margines et prima intentio negatur.

In ceteris casibus post incisionem conjungendi sunt arctissime ejus margines, tamen ea ratione, ut vincula continentia nec pressu nec calore novam adducant inflammationem.

Ut vero incisio veram intentionem assequatur, nec articulo damnum adferat, maxime necessarium videtur, curationem insequentem insigni cum attentione institui.

Curandi methodus, quae tali operationi respondet non alia esse potest ac vulneribus articulationum generatim accommodata; dico antiphlogosin quam maxime adauctam.

Detractiones sanguinis profecto non parcae longe primum tenent locum, inter quas in magnis vulnerationibus non repudiandae sunt venaesectiones, tamen saepius adhibendae hirudines; cucurbitulae sanguineae enim nec sat magnam detrahunt sanguinis copiam, partique affectae nimis magnum adferunt irritamentum.

Tunc fere nullo alio remedio restitui possunt epithemata frigida ex glacie, quae in articulorum malis optime demonstrant, quid valeant. Non absit tandem, resorptionis primum et supremum pellens, unguentum hydrargyri cinereum.

Tali ratione fieri posse, ut gravissima mala cum bono successu sanemus ingenue fatebor, meque putare, interdum minus cessisse hoc operationis genus, quia antiphlogosin in secundaria curatione neglexere.

Quae cum ita sint liceat addam duas morborum historias, quibus modo dictorum veritas demonstretur. —

PRIMA MORBI HISTORIA.

Maria G. operaria, annos nata septem et triginta, sat valida corporis constitutione, hebdomades

quinque ante quam in nosodochium caritatis reciperetur febris rheumatica correpta est, ingenti in extremitatibus dolore insigni. Dolores in regione ossis sacri et extremitatum inferiorum per quattuordecim dies fere alternabant, et a parte ad partem migrarunt. Die XIV. morbi in genu dextro hi dolores sedem sibi eligebant, insequabantur et hic frigus et cruciabatur aegra vehementissime. Intumuit simul articulus ardens et rubescens, motum negat et aegrotantem coëgit, immobilem unam eandemque sedem tenere. Applicatis hirudinibus, infricto unguento hydrargyri cinereo, adhibitis fomentationibus ex aqua plumbica, et remediis internis, nihilominus tamen jam quadraginta octo horis post tumor sat magnum gradum acceperat. Mox accesserunt affectiones gastricae, quae simul cum cetera cura emeticum expostulaverunt. Die septimo exortu tumoris in articulatione genu, cum frigore doctores pulsantes facti sunt, et vehementissimi. Per dies et noctes aegra quietem omnino non assecuta est; permulta somniavit et quod veri simillimum deliriis agebatur. Sitis inexplebilis erat, calorque valis, ut et levissimum integumentum repelleretur; articulationem ipsam genu aegra semper in uno eodemque situ servabat, dico, intermedio inter extensionem et flexionem. Cum tali modo malum semper incresceret, aegra quinta morbi hebdomade et tertia ex origine tumoris genu, die XV. mens. Januarii, auxilium in nosodochio Caritatis petebat. Status vero hicce fuit: genu tumor maximus, sat

ruber, ardens et dolorificus; in utroque latere patellae et parte anteriori et inferiori femoris infra extensores praesertim sub tendine communi eorum humor plane fluctuans adfuit, crus oedema tenuit; omnis motus articuli dolores augebat vehementissime, situs supra nominatus, solus aegrotanti levamini fuit. Non defuit febrilis status, magna sitis, capitis dolores, calor, cutis siccitas, alvi obstructio, urina parca et opaca, pulsus fortis, frequens, noctes plane insomnes. Adhibebantur inde hirudines et supra et infra articulationem genu fere quotidie repetitae; unguentum hydrarg. cinereum in regiones non rubescentes infricabatur; tumor ipse tegebatur fomentationibus ex infuso chamomillae cum aceto plumbico et Tinctura thebaica ex Rustii formula; interne accepit aegrota: Saturationem e Kali carbonico cum aqua Laurocerasi; simul interdum electuarium lenitivum contra alvi obstipationem; nec defuit diebus alternis balneum totius corporis caute adhibitum.

Octo diebus post haecce remedia sat manifestam symptomatum inflammatoriorum remissionem adduxerant, sed in genu suppuratio nihil minuta, febrisque gradus idem. Cum vero quattuordecim diebus post omni et unaquaque cura puris resorptio in genu adduci non posset, tumor augetur, febrisque inde maximum adtingeret gradum, putabat vir illustriss. Grimm incisionem in articulum fieri debere. Instituit eam in latere interno, loco maxime fluctuante cultro. Incisio non quidem magna puri tamen viam sat amplam praebuit. Secretum

emissum sat tenax, nec odore malo. Statim post operationem admodum levata est aegrotata, dolor fere ablati, febrisque simul minuta. At jam quattuor horis post frigus intrabat; febris ex toto aucta, in articulatione dolores redierunt, immo sensim gradum sat intolerabilem assecuti sunt. Quae symptomata sibi denuo hirudines, unguent. hydr. cinereum et Rustii fomentationes postulavere. Epithemata frigida ceterum in articulationum exulcerationibus maximi effectus in hoc casu illustr. Grimm negat, ob rheumaticam morbi originem. Saturationem cum vino stibiato, balneumque eodem tempore in usum vocata. Haec curandi methodus usque ad medium mensem Februarium perseverabatur; tunc enim primo inflammationis symptomata remittebant. Qua ex causa die VII. Febr. fomentationes aromaticae applicatae et injectiones infusi chamomillae institutae. Simul quies extremitatis nullo modo turbabatur. Durante inflammatione secretum apparuit tenue et corruptum, nunc tenacius et melioris indolis. Ipsa febris paululum ex hoc tempore remittebat, tamen quod ad naturam jam asthenica erat. Accepit inde dietam magis nutrientem, nec minus ad usum internum: infusum Valerianae acido phosphorico nuptum et parvas doses Lichenis islandici cum saccharo. Minuit haec cura febrem; articulationis irritatio evanuit, secretum hujus ipsius parcius, ita ut apparerent granulationes non solum in externo incisionis, sed etiam in articulationis vulnere. Augebantur quidem vires, tamen semper debilitas sat magna adfuit, quamobrem ill.

Grimm die tertio mensis Martis infusum radicis Angelicae cum extracto Chinae aquoso et Tinctura aromatico-acida praebeuit. Quibus auxilio venit di-aeta uberior cum vino.

Reficiebatur inde aegrota, et die X. mensis ejusdem articulationis vulnus plane clausum apparuit. Die XVI. primum motus periculum fecit, dolorificum quidem, sed nihilominus tamen initio in balneo, post et extra repetitum. Quo sensim dolores evanuerunt. Carpia mera et lapide infernali vulnus externum tractabatur, ita ut die XXIV clausa esset.

Reponebantur remedia. Per dies ultimos mens. Martis et per primam partem mens. Aprilis studebat aegrota caute ambulando, et repositis fulcris die XVIII. hujus mensis nosodochium reliquit.

ALTER MORBI CASUS.

Theophilus P. operarius, viginti octo annos natus, constitutione sat valida et robusta, contudit vehementissime genu dextrum, quod statim tumorem in regione patellae adduxit, qui in ambulando paululum doloris excitans, ceterum impedimento non erat. Quatuordecim diebus post decidens denuo genu insultabat, unde tumor adauctus, dolores vehementissimos addebat. Hirudinibus applicatis et tumor et dolor minuebantur, ita ut aegrotus athletica constitutione gaudens negotiis iterum navare posset. Nonnullis hebdomadibus post repente horror accessit, quem calor siccus insecutus est. Inedia, sapor in ore amarus, ejectio materiae biliosae

er vomitum, de natura febris dubium jam non permiserunt; genu tumoris incrementum, doloris-que vehementia, omnem extremitatis usum negabant aegrotantem die vigesimo mens. Octobris in opsodochium caritatis contulere. Investigantes totum quidem genu articulationem intumefactam invenimus, tamen praesertim patellae partes laterales laesas, ubi fluctuationis sensum percipere potuimus. Patella depressa saltatorie efferebatur, ut in hydarthro interno fit, et tumore manifeste fluctuante obiecta erat. In motu articuli percipiebatur sonus crepitationis spuriae, qualis saepius in hydarthro et arthro observatur (1). Cutis in regione genu rubra et ardens, in crure oedema adfuit. Symptomata febris gastricae in sat magno gradu sese nobis obtulerunt. Constitit ergo anthromeningitidem mechanica causa obortam esse, quae suppurans, pseudo-crysipelas in regione genu et oedema cruris adduxerat. Tota enim anamnesis nec minus illi symptomatologia id demonstrant; sensim et late incesserat ex mechanica causa; initio non perignum tumorem omnium partium, quo totum membrum sustulisset, excitaverat, sed tantum in lateribus patellae provenit materia; tuncque ex inopinatu modo in tam nobili articulo formato atroci horrore ipsum corpus obruerat; neque nunc quidem indigestus totius articuli tumor adfuit, sed laterales tantum colles patellae, quibus oedema cruris addas, induratum et pressione exortum.

(1) S. Cooper l. c. Art. Gelenke pag. 41.

Applicabantur XXX. hirudines, infricabatur unguentum hydrarg. cinereum, supra impositis Rustii fomentationibus; propinabantur aegroto Salina, non minus contra inflammationem localem quam contra gastricam affectionem; quibus remediis inflammatorius dolor minuebatur, sed processus morbi retineri non potuit.

Octo diebus post, locum ad condylum tibiae internum mollem et fluctuantem incidebamus; provenit ex ipso articulo larga saniei copia.

Injectiones ex aqua tepida et infuso Sambuci, applicationes hirudinum, unguenti cinerei usus, apertum servabant puri vulnus, inflammationem, dolorem, rubedinem, immo tumorem minuebant, qua ex causa et febris lenior, saturationem tantum ex postulabat.

Fistulae nonnullae in regione articuli apertae reddebantur, simulque abscessus in externa genu parte incidendus, qui tamen merum pus emittebat.

Medio mense Novembri, cum res bene cedere viderentur, sphacelo tela cellulosa in genu corrumpebatur; quod ex gastrica complicatione pertinaci, cum aeger potu corrupta teneret organa abdominis, ex aëre corrupto nosodochii, nec minus ex primaria jam pseudoerysipelatosi affectione in tela cellulosa genu circumdante originem ducebat. Imponebatur ergo pulvis florum chamomillae, nec abfuerunt Rustii fomenta; postea fomentationes aromaticae, quibus melior status reducebatur.

Ut sublevaremus vires hisce causis imminutas,

praescriptum Chinae decoctum cum Tinctura aromatico-acida, dietam roborantem, potumque accedentem. — Vulnere puriora, secretum ex articulo prostratum imminutum et tenacius, immo partes articuli affectae ex fundo granulationem emittebant. Vinum camphoratum depurabat ex toto vulnera, ita ut initio mensis Decembris quae in capsula articulari inhaerebant clausa essent. Externarum partium vulnera tantum laxitate quadam laborabant, quam unguento basilico cum Tinctura Myrrhae detingnavimus. Granulationem postea in basi ulceris nimis luxuriantem repulimus sat forti solutione laedidis infernalis; tandem ultimis diebus mensis Decembris totum ulcus solutione illa tractavimus.

Repositis remediis internis, diaeta larga praestabatur; motus in articulatione genu nunc jam satis, nec dolores attulit.

Mense Januario insequentis anni jam instituiteger ambulandi experimenta; — et cicatrisatio incedere tam bene cessit, ut die vigesimo tertio Mensis Februarii e nosodochio emitti posset. Fere me ulla haesitatione incedebat, articulationis usus mobilitas ex toto restituta; status totius corporis optimus.

V I T A.

Almundus de Pochhammer, Berolini die XVI mensis Junii, MDCCCXII patre Guilelmo, matre e gente Zoellnerius, religionem christianam secundum evangelicam confessionem colo. Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Nissenense frequentavi. Testimonio maturitatis instructus A. MDCCCXXX Berolinum me contuli et inter cives instituti regii medico-chirurgi Friderici Guilelmani receptus sum. Per quattuor annos prae-

lectionibus Ill. virorum adfui: Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice et toxicologia; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Beat. Rudolphi de osteologia, anatomia universa, anatomia foetus humani et organorum sensuum, in doctrina de entozois, de methodologia medicinae atque encyclopaedia, denique de physiologia; Ill. Schlemm de splanchnologia, syndesmologia et anatomia chirurgica; in arte cadavera rite dissecandi Beat. Rudolphi una cum Ill. Schlemm me imbuerunt. Disserentes porro audivi: Cel. Eck de physiologia; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. Horn de pathologia speciali et de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Osann et Ill. Schultz de materia medica et de fontibus medicatis; Beat. Hermbstaedt de chemia et pharmacia; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. Kluge de arte fascias imponendi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Juengken de chirurgia speciali, de akiurgia et de ophthalmiatrice; Cel. Angelstein de ophthalmiatrice; Ill. Hecker mihi Celsi de medicina libros et Hippocratis Aphorismos interpretatus est. Exercitationibus clinicis medicis Ill. Bartels, Cel. Barez, Cel. Wolff interfui, chirurgicis Ill. Rust, chirurgicis ophthalmiaticis Ill. de Graefe, ophthalmiaticis Ill. Juengken. Interfui denique exercitationibus practicis ad artem obstetriciam Ill. Kluge, ad medicinam forensem pertinentibus Ill. Wagner. Praeterea in schola veterinaria audivi Cel. Gurlt de zootomia; Cel. Reckleben de epizootiis et zoodiaetia; Cel. Naumann de habitu et forma equorum; denique interfui clinico veterinario Cel. Hertwig.

Quibus studiis peractis in nosodochio Caritatis Berolinensi per annum munere medici inferioris functus sum.

Tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine riguroso rite absolutis jam in eo sum, ut dissertatione thesisque defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

T H E S E S.

1. Vulnere thoracis penetrantia prima via sanemus necesse.
2. Natura admodum crassi celerius intereunt quam graciles.
Hipp. Aphor. Sect. II. Nr. 44.
3. Quibus per febres ad dentes glutinosus humor obnascitur, iis vehementiores fiunt febres.
Hipp. Aphor. S. IV. Nr. 53.
4. Convulsio quae in vulnus incidit lethalis.
H. A. S. V. N. 2.
5. Qui crebro et vehementer citra manifestam causam animo linquantur, repente moriuntur.
H. A. S. II. N. 4;
6. Mulieri utero gerenti si alvus multum profluat abortionis periculum est.
H. A. S. V. N. 33.

